



## 43

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYŁA

*Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis*

Etsi in cap. II ubi de ordine morali obiectivo servando, multa accuratissime sunt proposita, quaeritur tamen post nonnulla, quae hac de re iam dicta sunt, adhuc profundior enucleatio problematis.

Et hoc mihi videtur praesertim in duobus: *a)* in n. 14, ubi de ratione agendi; *b)* in nn. 22 et 23, ubi de libertate artis fit sermo.

*Ad a)* Concesso instrumenta communicationis socialis magna esse dona Dei pro contemporaneis, nihilominus nonnulla in usu eorum oriuntur pericula, quae etiam hic pluries iam prolata sunt. Quae ut excludantur, oportet claram imponere hierarchiam valorum. Tamquam valor superior fungitur illud, quod personam humanam qua talem perficit. Tunc bonus usus instrumentorum talis est, qui verae culturae humanae inservit et vitam interiorem auget. Saepe saepius enim usus eorundem mere consumptivus videtur et nihil verae culturae nec vitae interiori affert, prorsus gravia in hac re obstacula subministrat. Et talis usus est potius abusus.

En, videtur mihi sine claro principio personalismi, non determinatur recta ratio agendi in hac re — immo semper remanet aliquod periculum « instrumentalismi », ut ita dicam.

*Ad b)* Idem ordo valorum clarius proclametur, cum de libertate artis in nn. 22 et 23 fit sermo. Cum enim una ex parte primatus ordinis moralis in ambitu artium optime declaratur, tunc tamen altera ex parte sublevandum videtur etiam bonum artis proprium. Cum enim ars a S. Thoma definitur recta ratio factibilium, tunc clarum est quodlibet artefactum propria sibi perfectione pollere, cui bonum morale non est substituendum, ne in errorem « moralizationis » cadamus. Quod esset potius contra ordinem moralem. Ergo etiam hac in re integra hierarchia valorum clarius exponatur oportet.